



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Christus Constantino per quietem visus, similem cruci effigiem
fabricare, ac in bellis vti iubeat. Cap. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

cauisset, solum obseruandum colendumque statuit.

*Quomodo orante circiter meridiem Constantino, Deus
visionem in caelo ostenderit, crucem videlicet de lu-
mine fabricatam, ac praeterea inscriptionem cohortem,
tantem, in hoc vince.*

CAP. XXII.

QUocirca huius opem precibus implorauit, hunc orauit, huc obtestatus est, ut tum quinā esset, ipsi vellet significare, tum rebus, quas apud animum proposuisset, dexteram, velut adiutricem porrigere. Imperatori igitur ista precanti, obnixaeque flagitanti, visio quaedam diuina, & in primis admirabilis apparuit: quam si quis forte alius dixisset, non tam facile hominibus potuisset persuaderi: verum cum imperator ipse victor, nobis ipsis, qui hanc historiam iam literis persequimur, longo tempore post, cum notitia eramus & familiari colloquio ab eo dignati, narraret, & sermonem iureiurando confirmaret, cui dubium esse poterit, quin sit rei ita commemoratae fides omnino adhibenda: praesertim cum tempus postea consequutum, ratum orationi testimonium dederit. Cum iam sol ad medium caelum ascenderat, die in pomeridianum tempus paulatim inclinante, dixit se crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso caelo soli imminens manifestò oculis aspexisse, inque eo inscriptionem consignatam, quae haec verba complectebatur, *In hoc vinces*. Admiratio ingens ipsum & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, atque adeo huius prodigij spectator factus erat, incesit.

Quod Christus Constantino per quietem visus, similem cruci effigiem fabricare, ac in bellis vii iubebat.

CAP. XXIII.

SE dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem illud ostentum sibi vellet, asseruit. Atque

G g 3 eum

EVSEBII DE VITA

sum diu multumq; de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in celo monstrato visum esse, præcipisseque, vt exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat fabricato, eo tanquam præsidio in præliis cum hostibus committendis vteretur.

Crucis effigiei fabricatio.

CAP. XXIII.

Ille, simulatque dies illuxit, surgens, primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum & lapides præciosos affabrè sculperè norant, accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus præciosis imitatione adumbrare mandat. Quam quidem effigiem contigit, vt nos oculis olim contemplaremur: Ipse enim imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est.

Descriptio vexilli instar crucem fabricati, quod nunc Romani labarum appellant.

CAP. XXV.

ERat autem tali figura fabricata. Hastile oblongum erectumque auro vndique obductum fuit, quod cornu habuit transuersum ad formam crucis constructum. Supra in fastigio: ipsius operis corona affixa, lapidibus præciosis, & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis seruatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis: id est duabus primis literis nominis Christi (erat enim litera ξ in ipso medio literæ χ curiose & subtiliter inserta) quæ totum Christi nomen perspicue significauit. Quas quidem literas deinceps semper imperator in galea gestare consuevit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transuerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenuè appensum adhæsit, regalis videlicet & magnifica textura, mirabili varietate lapidum præciosorum artificiose coniunctum, lucisque suæ claritate pulchre resplendescentium depicta, & multo auro intertexta, quæ dici non potest, quan-